

ris virus capientes. Exundans ergo Lympha non ipsa causa primitiva & immediata est, sed ab errante glandularum Archeo, tanquam radice, in novam tragœdiæ scenam producta, quæ enim ipsa tandem in causam abit & novos de se hæredes in Archeis partium suscitatur. Atque in hoc consentientem reperio antiquitatem, dum enim expultricem cerebri vitiatam pro causâ immediatâ accusavit, quid aliud istâ insinuatum ivit, nisi Archeum cerebri lacesitum? vid. *B. Rolfincii Method. cognosc. & curand. affectus part. capitis diss. 12. de Catarrhis.*

§. V.  
Causa mediata proximior est Lympha abundans, viscida, stagnans, acris, acida, proprio aut ex alienis digestionum, primæ præsertim, erroribus, vel ipso etiam Aë hausto contagio inquilini glandularum -tus hospitium inficiens: unde distributionis exorbitantiam irritatus patrat -tus & perniciose catarrhorum collegia fabricat.

§. VI.  
His causis proximioribus promptè velificantur remotiores, quas inter principem locum tenet glandularum *nativa & adventitia debilitas*. Ista in ipsis Archei glandularum potestatibus à primo ortu infixæ est: Qui enim omnium partium sigilla, potentias & characteres secum tert spiritus plasticus, dum semet ipsum tandem vestit & materiæ nutritivæ amictu induit, eodem opere secundum idearum suarum, quæ quasi spirituum appendices sunt, modulum, colliquamentum ovuli materni lymphaticum actuat, figurat, format & quandoque deformat. Uti ergo secundum impressas istas in vitali initio ideas naturaliter fit generatio & partium formatio; ita evolutio harum, si morbosæ sint, in partibus, favente causarum occasionalium turmâ, in morbosos etiâ fructus progerminat. Quanquam enim ipsæ ideæ non sint operatrices, quod contra *M. Marci* noto, hoc quippe unice vitali principio tribuendum, nihilominus secundum eas, tanquam normam, Archeus partis hunc effectum edit, similem principio suo, ex quo ideam habet. Hinc Parentes podagrici, phthisici, catarrhosi &c. in feros nepotes morbos legant, hæreditatis istius paterna unico executore existente spiritu seminali seu plastico.